

749

Zf
230



4.

☞ (o) ☞

Æ. FAM. SACR.

TABULAM

HONORIS SUPREMI

VIR O

*Quem Theologia sapientia, vita Sanctimonia,
& singularis in Praeconiis divinis industria vene-
rabilem reddiderunt*

DOMINO

ABRAHAMO TELLERO,

SS. Theol. Doct. digniss. Lipsiæ ad D. Tho-
mæ Pastori vigilantiss. & Consistorii Ecclesia-
stici Assessori Graviss.

*Membro quondam suo oculis summo, post Beatam
ejus analysin*

Ipso humationis die

V. Id. Novembris

ÆR. DIONYS. CLV IS CLIIIX.

Non sine lacrumis,

Quas justus expressit dolor,

IN TEMPLO PIETATIS

Marmoris exequialis vice observantia &

Amoris C. Bn. Mer. Pos.

Collegium Majus Concionatorium in Aca-
demia Lipsiensi.

Vivat Tellerus Doctor, Nomenq; decusque
 Nulla dies unquam Lethæas trudat in undas!
 Nondum LUNA quater complevit cornibus orbem,
 Cùm nos unanimes solenne celestia daremus
 Æthera pulsandò, venerati mentibus Illum,
 Quem penes est solum donorum summa potestas.
 Scilicet insignem dignè capiebat honorem
 Cœrulei indutus meritâ bombyce Galeri,
 Atque rotundata Mitra symplegmate cinctus
 Commoda cum titulò Doctoris iusta ferebat
 TELLERUS; Vir, qui penitus cœlestia dudum
 Dogmata callebat, quiungebatur in aede
 Thomana primis Pastoris munere fidus,
 Quique foro sacro poterat pia dicere jura.
 Hac erat egregii nobis occasio plausûs.
 Nimirum auspiciis felicibus Ipse Virorum
 Complebat decem, quos Ordo (dicatus honori
 Divino & studio pietatis, in aede Lyceo
 Paulino junctâ tentamina sacra didaxis
 Theiologa instituens; per septem lustranec unquam
 Vel medios inter mortis Martisque furores
 Disruptus;) de classe suâ scit epomite cinctos
 Promeritosque gradûs summi diademata novit
 Inter eos, queis passim encomia Fama paravit,
 Dum DEUS officiis profecit grandibus Ipsos,
 Eas erat idcirco, prensanti digna brabea,
 Cordibus effusis in gaudia, fausta precari.
 Sed nimis, heu! subito subvertit júbila luctus.
 Ex oculis etenim nostris subtraxit Eundem.

Mortis avara manus, disrupto stamine vita;
 Ut sic mature careamus amore fideli,
 Quem nobis sat-multa per argumenta probavit.
 Nec minus est causa lugubres ducere latus,
 Quod reseindatur non absque dolore cicatrix,
 Vulneris inflicti geminato funere: LANGI,
 Quo statore fuit nostra hac conducta Corona;
 CRAPZOVIIQUE, Viri in cathetris sermone potentis;
 Quorum jacturam nondum delevit acerbam
 Exiguum tempus. Sanè dispendia Templi
 Tertius hic casus (feralia tempora!) adauget.
 Attoniti certè stamus, stupor occupat artus;
 Hac ubi versamur velocia pectore fata
 Crediderint alii forsitan monstrosa Sophorum
 Asserta, in superis splendentia sidera campis
 Sapius extingui, vel totam perdere lucem.
 Verius effatum deprendimus esse, Sionis
 Plisiaci attentè si respiciamus Olympum.
 Nam rapida vix unum exegit Cyntbius annum
 Cursibus, & præcops per sex est signa volutus:
 En! chorus astrorum tria sidera perdidit, ignes
 Amisit vigiles Philurei cardinis axis.
 Lumina justitia quadam arbitramur abesse
 Templis, ut metuant sacraria signa ruinae,
 Et tenebrae immineant, & cum caligine noctes,
 Quas DEUS iratus minitatur fronte severa.
 Hinc equidem superum transduxit in æthera Stellas
 Angelus æternus, qui præsens adstiterit illis
 Atque dedit motum, cum volvebantur in Orbe
 Inferiore; inibi superant splendore caducas
 Temporei faculas, quotquot numeremus, Olympi.
 Justitia Pæbus plenis collustrat in aula

Divi-

Divinâ radiis illas, faciemque coruscam
 Donat, & insignem confert sine fine nitelam
 LANGIUS aeternum rutilat; CARPZOVIVS, Heros
 In vitâque fideque, auratò lumine pollet;
 Jungitur in sphaerâ nitidâ TELLERVS isdem.
 Quantus honos, & quanta virorum gloria Trigam
 Istanc insequitur! Non posthac vana tuentur
 Terricolarum opera, & studium telluris inane.
 Nos timor angit adhuc: & mens praesaga malorum
 Indicat Ecclipsin. DEVS optime pelle maligna!
 Nec patiare, Pater! quin vota fidelia nostri
 TELLERI, purò quae nuper pectore nobis
 Reddebat (cenuis caperet cum caena Coronam
 Quam DEVS ex nostrò protraxerat Ordine pulchram)
 Obtineant pondus, valeantque referre salutem.
 Fac, DEVS omnipotens, pia nos vestigia nostri
 TELLERI premere, & medicamina suggere menti
 Enthea, quale Viri conscripsit dextra beati.
 in JESU Mea vita Meo est, Mea clausula vitae,
 Inque Meo JESU vita perennis erit.
 Haec erat egregia mentis sententia; sanctam
 Et docet haec metam, pietas quam querere soevit.
 Hanc tenet in Caeli TELLERI spiritus aula
 Vertimus ergò stilum, firmò solamine nixi:
 Non periisse Virum, quanquam discesserit, istum,
 Qui meruit Fame praeconia justa perennis.
 Ponimus intrepidè finalia verba Beato:
 Vivit Tellerus Doctor, nomenque Decusque
 Nulla dies unquam lethæas trudet in undas.

F I N I S.

4230

ULB Halle 3
004 704 762



1077 W.D.





TABU
 HONORI
 VI
*Quem Theologia sapientia
 & singularis in Praconi
 rabilem*
 DO
ABRAHAMO
 SS. Theol. Doct. dig
 ma Pastori vigilantiss.
 stici Asses
*Membro quondam suo
 ejus
 Ipso hum
 V. Id. N*
ÆR. DIONYS
 Non sine
Quas justus
IN TEMPL
*Marmoris exequial
 Amoris C, Bn*
Collegium Majus Co
 demia



4
 (Faint handwritten text and decorative border on the right page)

